DE

CYCLOPIA

SIVE

UNIONE PARTIUM CAPITIS

IN STATU NORMALI DISIUNCTARUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

ASSERENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA

HALENSI

UT

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

GRADUM

RITE ACQUIRAT

DIE VIII. IULII MDCCCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

CAROL. GODOFREDUS SPEER

GOLDBERGA-SILESIACUS.

HALAE

FORMIS GRUNERTI PATRIS FILIIQUE.

VIRO

MAGNIFICO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

IOANN. IOSEPH. KAUSCH,

MED. DOCTORI, PHILOSOPHIAE MAGISTRO, REGIMINIS LIGNICENSIS REIQUE MEDIC. CONSILIARIO, ORDINIS CRUCIS FERREAE SECUNDAE CLASSIS EQUITI, MEMBRO CORRESPOND. SOCIETATUM LITERARIARUM BEROLIN., VRATISLAV., VARSOV., ERLANG., ERFORD. ETC. ETC.

FAUTORI MEO

OMNI PIETATE SUMME COLENDO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SINGULARIS REVERENTIAE ATQUE GRATISSIMI ANIMI

TESSERAM

ESSE VOLUIT,

SEQUE RESQUE SUAS OMNES

COMMENDAT

AUCTOR.

§. 1.

Haud raro organismi partes animalis in statu normali disiunctae, in unum coëunt, status quidam abnormis, quem vel per plures corporis regiones, vel per singulas tantum partes extensum videmus. — Quarum quidem formationum aliae, e. c. renes digitique concreti, eo sunt ortae, quod initio in formatione impedirentur, aliae autem, v. g. vasa complura disiuncta in unum truncum coniuncta, hucusque quidem simili modo illustrari nequeunt. Idem dici potest de istis, à statu normali maxime recedentibus eademque de causa animadversione nostra dignissimis eiusmodi formationibus, quae quidem, per magnas corporis regiones, organaque in iisdem obvenientia extensae, nomine universarum, illae contra partialium designandae videntur (allgemeine und besondere Verschmelzungsbildungen). Hae autem in duas praecipue classes sunt reducendae, quarum altera ad superiorem, altera ad inferiorem spectat corporis partem. Ex his priorem, cum nondum huius Anatomiae pathologicae capitis exstet monographia, suadente cl. Meckel, thema nobis sumsimus dissertationis inauguralis.

§. 2.

Formationes eiusmodi unà in cranio facieque, eodem quoque tempore in organis eorum compluribus, praecipue quidem in encephalo, oculis, naribus, saepiusque simul in oris cavitate obveniunt.

Omnium eiusmodi formationum abnormium illa oculorum confluxu constituta saepissime occurrit, quam si quis breviori nomine appellare voluerit, aptissime mihi „Monophthalmia s. Cyclopia" appellanda esse videtur. Attame

deformatio illa interdum in inferiori tantum faciei regione observatur; qua sub conditione nasus, ni fallor, eadem, qua in Cyclopibus, ratione, oculis a statu normali minime discrepantibus, deformatus est. Quarum quidem deformationum, uti certe omnium, quae extant, series quaedam continua a statu omnino normali usque ad summum gradum abnormitatis apparet.

§. 3.

Omnium minime a statu normali recedentem huiusmodi deformationis gradum Sömmerringius [1]) descripsit, quippe qui nasum infantis neonati perparvum, ac simplici tantum foramine praeditum invenit. Lobus cerebri anterior ita erat degeneratus, ut nervus olfactorius omnino deficeret. Duorum loco ossium nasalium, unicum tantum inveniebatur rudimentum lenticulare. Os ethmoideum perparvum, lamina cribrosa vix conspicua, cavitas nasi angustissima, oculi denique quam proxime erant invicem admoti.

Cui quidem formae appropinquant utriusque ossis nasi concretiones, vel per totam longitudinem, vel modo per partem nasi quandam extensae, qualia plura in infantibus ipsi mihi constant exempla: atque praeterea septi narium in hominibus passim inventae perforationes, quarum causam sine dubio in nisus ultimi formativi vitiis quaeri oportet. Haec autem vitia inprimis ob similitudinem cum animalibus gravis videntur momenti, dum unicum tantum os nasale ac spatium inter orbitas arctissimum, cui praecipue oculorum innititur appropinquatio, inprimis in simiis, sicuti in avibus compluribus perforatio septitnarium secundum formationem normalem adsunt.

§. 4.

Casibus illis proximus est alius quidam, in capite vitulino (quod in museo anatomico-pathologico Meckelii

1) Beschr. u. Abb. einiger Missgeb. Mainz 1791. p. 28 Taf. 9.

video), ubi autem, ut fere semper fieri solet, cum maiori appropinquatione, nasus rostri instar deformatus est, quod quidem e primo nisus formativi vitio non consequi non poterat, nasi situ oculorum illo confluxu correpto, eademque de causa naso ipso, quominus naturaliter explicetur, vel omnino impedito, vel alio loco fomari coacto. Tum autem cur vulgo id supra oculos fiat, eius causa mihi quidem in maxillae superioris infra oculos situ quaerenda videtur, quo spatium, in hac regione naso destinatum, nimis coarctatur.

Illius capitis vituli maturi formam quod attinet externam, oculi sibi invicem propius sunt admoti, angulis eorum internis unum tantum pollicem atque quadrantem inter se distantibus. Eadem modo oculi ex parte tantum formati patent, dum ipsi minime, sed vestigia paene, e fissuris parvulis lineas quatuor longis unamque latis indicata reperiuntur. Supra haec oculorum vestigia rectissime in medio rostrum situm est, duos pollices longum et unum amplius crassum, cute laxa obductum, atque in anteriori suo acuminato, pilisque fine orbato, duo naribus instar foramina habens, inter quae septum quoddam perpendiculare per totam rostri longitudinem decurrit. Loco proxime infra rostrum sito, graviterque depresso labium superius in parvum maxilla superiori, longe prominentem, inferiori autem multo breviorem processum est prolongatum, sic, ut lingua libera iacens appareat. In maxilla inferiori quinque dentes incisivi se invicem tangentes omnino nudi conspiciuntur.

§. 5.

Similem monstrositatem Isenflammius [2]) descripsit. In foetu sexus virilis maturo, duo supercilia, duae erbitae, duoque in iis oculi a duobus ad partem superiorem plane clausis palpebris obducti in loco na-

2) N. act. nat. cur. T. VIII. Ploucquet obs. med. Pent. No. V. Scholion pag. 26.

turali reperiuntur. Nasi omnino desiderati radici protuberantia quaedam, magnitudine formaque peni in neonato simillima, parte anteriore ab integumento, praeputio conveniente, tecta adhaeret. Regio inter glabellam et labium superius, ad suscipiendum illud rostrum, quod parum tantum tolli poterat, destinata, subconcaua apparet. Oculi hoc in casu, quanquam palpebras pone conclusas normaliter formati latebant, atque nisus vitium formativi prae omnibus ceteris partibus naso, in simplex rostrum confluxo, inhaerebat, evanescere tamen incipiebant.

§. 6.

Interdum etiam absque omni alio a statu normali recessu duo oculi seiuncti inveniuntur, quorum alter, altero maior, ex uno perfecto oculo alteriusque parte quadam formatus videtur, aeque ac haud raro renum magnitudine inaequalium alterum quanto minorem, tanto alterum maiorem invenimus. Simili ratione in monstris duplicibus, capite confluxis, duo semper corda apparent, quorum alterum e maiori constat numero ventriculorum, pluraque vasa excipit atque demittit, quam cor normale, alterum contra aut unum tantum, aut ut plurimum in atrium atque ventriculum divisum continet cavum.

Quae quidem formatio rara esse videtur, et Meokelio v. cl. unum modo exemplum a Mezeray [5]) commemoratum constat, quippe qui in foetu humano proxime infra rostrum, oculum permagnum et rursus infra huncce alium quemdum multo minorem invenit, quae monstrositas duplici ratione commemoratu dignissima apparet, cum propterea quod oculi in omnibus fere huiusmodi casibus lateraliter confluere solent, tum quod ille oculorum situs abnormis insectorum, quorum stemma tertium sub caeteris situm, formationem admonet.

---

5) Mém. de Paris, 1761. Hist. p. 112.

§. 7.

Plerumque ambo oculi in unum coëunt, quam quidem formam sex[illegible]servavi, inter exemplaria autem ante oculus nullus est foetus humanus.. Praeter alia eiusmodi monstra animalia, quorum auctores copiam magnam descripserunt, de humanis quoque Mery,[4]) Littre,[5]) Eller,[6]) Heuermann,[7]) Prochaska,[8]) de la Rue,[9]) Ploucquet,[10]) Riviera,[11]) Sonsis,[12]) Hooper,[13]) huius modi monstrorum descriptiones nobis tradiderunt. Attamen non omnia ad unum eundemque typum formata sunt. Primum nempe oculus modo duplici est similior, modo simplici, sic, ut a monstris inde, in quibus oculi perfectae paene adsunt duplicitatis, ad ea usque, in quibus omnino desunt, seriem continuam inveniamus. Deinde rostrum, nec quod ad existentiam eius in universum, atque structuram, nec quod ad rationem inter ipsius et oculorum existentiam atque evolutionem semper easdem offert conditiones. Conditio, in omnibus fere casibus oblata ad symmetricam spectat oculi constitutionem. Situs eius revera talis est, ut planum per axin corporis longitudinalem ab anteriori ad posteriorem partem animo effictum, oculum in duo aequilatera dividat

---

4) Mém. de l'acad. des sc. 1709. p. 18 — 23.

5) ibid. 1717. p. 369.

6) Mém. de Berlin. 1754. p. 112 sq.

7) Praktische Bemerkungen. Copenhagen. Bd. 1. S. 14. sq.

8) Abh. d. Böhm. Gesellsch. d. Wissenschaft. 1788. 1789. S. 230 — 234.

9) Samml. auserles. Wahrn. a. d. Arzneikunde. Regensb. 1763. Bd. 7. S. 295 sq.

10) N. a. n. c. T. VIII. p. 25.

11) Storia di un monocolo; in Brugnatelli giorn. f. med. Pavia 1795. T. I. p. 225.

12) Ibid. p. 27. duo casus.

13) Mem. of the London med. society. Vol. II. p. 333.

dimidia. Paucissimae saltem constant huius regulae exceptiones, e. c. Peyer foetum ovinum describit, in quo oculus ex duobus ortus non in medio sed in latere sinistro situs esset. Nec minus la Faye eiusmodi monstrum vidit. In porco nempe similiter formato oculi ex duobus orti, in medio quidem siti, dimidium sinistrum nec lentem nec iridem habet, dextro regulariter formato.

Gradus contra illius coalitus, sicuti inclinatio ad formam simpliciorem in universum valde variant. Ubique fere oculorum unionem in unum huiusce unius magnitudine abnormi indicatam videmus. Quod equidem in omnibus, quos observavi casibus invenio, uno fortasse suillo excepto, quo, reliqua facie imperfectissime explicata, oculum, ex duobus ortum, vulgari simplici vix maiorem video. Ab aliis quoque observatoribus insolita oculi ex duobus orti parvitas rarissime commemoratur, dum plurimi huiuscemodi oculum semper certe paullulum vulgari maiorem inveniebant.

§. 8.

Simili modo confluxus duoram oculorum in unum e plurium quam duarum palpebrarum praesentia luculentissime apparet. Vulgo quatuor reperiuntur, quae angulo interno, quo in statu normali puncta lacrymalia sita sunt, confluunt, marginibusque suis tetragonum formant, cuius angulus alter ad superiorem, alter ad inferiorem, tertius et quartus denique ad dextrum sinistrumque latus convertuntur. Palpebrarum utriusque lateris invicem respondentium fines interni semper unionem ineunt, qua ratione canthi oculi tantum externi, ut vulgo, palbepra nempe superiore et inferiore lateris eiusdem, canthi contra interni lateris dextri sinistrique palpebris eius nominis formantur. Haecce forma maxime est vulgaris. Equidem quot casus mihi ante oculos sunt, ubique eam inveni, necnisi Heuermann et Littre his duas, superciliis omnino orbatas palpebras vi-

derunt, ubi simul oculi partes internae solito erant simpliciores.

Plerumque ceterum palpebrae etsi ad quantitatem normales, tamen minores sunt ita ut oculi planities anterior omnino intecta iaceat, quod in omnibus, qui mihi constant casibus inveni; diserte quoque Eller et Sonsis eius mentionem faciunt.

§. 9.

Etiam qua supercilia constituta sunt, ratio similis offert gradationes. Sic Littre, Riviera, Sonsis, oculis media in facie in unum confluxis, supercilia in loco normali invenerunt. Saepius et in directione eorum coalitus iste sese ostendit, dum ipsa supra palpebras superiores in linea cum iisdem parallela medio confluere solent. Totalem palpebrarum defectum Ackermann, Plouquet et Hooper observarunt.

§. 10.

Etiam organorum lacrymalium structuram, proxime cum ea palpebrarum coniunctam, haud semper eandem esse, paucis proferam. Quodsi organa lacrymalia adsunt, vulgo duae glandulae lacrymales, propterea quod angulis internis confluxis regio oculorum externa minime laesa apparet, altera quidem ad dextram, altera ad sinistram reperiuntur, ut Eller, Heuermann et Riviera accuratius demonstrant.

Saepius et quidem vulgo in angulo oculi inferiori una duaeve carunculae lacrymales, et in eo solo, nec, ut normaliter, etiam angulo superiori duo puncta lacrymalia inveniuntur. De la Rue, Riviera eodem modo id descripserunt. Unus Sonsis et in angulo oculi superiori duo invenit puncta lacrymalia se invicem attingentia. Idem ego in agno invenio. In casu ab Heuermanno observato quidem aderant glandulae lacrymales, sed ductus lacrymales externi omnino deerant.

Unumquodque punctum lacrimale ad canaliculum du-cit lacrimalem, qui, ut vulgo superior et inferior, in sim-plicem quidem, sed in ipso medio situm ac vel in or-cavitatem vel coece finitum saccum effunditur. Idem quo-que Riviera et de la Rue viderunt.

In agno isto, cuius puncta lacrymalia in oculi anguli superiore sita esse, modo commemoravi, haecce in finem superiorem oblongi cuiusdam membranosi sacci, qui in-ter utrumque oculum prope post cutem stricte in medi-situs, retrorsumque acumine caeco finitus, fluido gelati-noso rubicundo turgescebat, terminata sunt.

§. 11.

Forma oculi ipsius maiores varietates et gradatione-praebet. Transitum ab ea forma, qua oculi arctissime se invicem approximant, ad eam qua revera confluunt, hocce reddit exemplum. In foetu ovino infra rostrum duo ocul-in communi orbita planiori symmetrici reperiuntur. Pal-pebris quatuor, ut vulgo, circumdati, non tetragonum pal-pebrarum extremitatibus externis confluxis, sed irregulare formant octaëdrum. Caeterum uterque angulus lateralis inter superiorem et inferiorem eiusdem cateris palpebram loco normali apparet. Inde etiam palpebra superior sur-sum, inferior autem deorsum introrsumque decurrunt palpebrae autem nominis eiusdem non continuo altera al-teri convertuntur, sed a via primo aberrant, et tunc deni-que in superiori et inferiori parte coniunctae angulum for-mant. Cuius oculi levior confluxus praecipue taenia mem-branosa, brevibus tenuibusque pilis obtecta, vix unam li-neam lata, in medio a superiori ad inferiorem oculi angu-lum decurrente, quodam modo indicatus est. Quae qui-dem taenia cum septo inter oculos externo, quod in statu normali invenitur, comparanda videtur. Quo fit, ut tunica coniunctiva et albuginea ad partem corneae inter-nam latior, quam ad externam, corneae ipsae longe distan-

tes, atque fines utriusque eiusdem nominis palpebrae interni haud invitem se contingentes appareant.

§. 12.

Cui quidem ambitus externi constitutioni structura etiam binoculi convenit, bulbis ambobus, etsi cum parte sua interna se invicem contingant, perfecte tamen disiunctis. Etiam musculi, nervi, vasa omnia duplicia adsunt; solus nervus opticus simplex e cerebro per foramen opticum pariter simplex evadit. Simili modo musculus obliquus internus se habet, qui simpliciter ortus mox in duos dividitur ramos aequales, quorum quisque uni oculi destinatus est.

In duobus foetibus albuginea quidem simplex tantum adesse, corneaeque ambae taenia transversa coniunctae videntur, disquisitione vero exactius instituta albugineas ambas perfectas easque ad partem praecipue anteriorem arcte sibi invicem iunctas videmus. Omnes partes duplices adsunt, nec minus nervus opticus, quamquam in ortu suo simplex, iam ante introitum in orbitam in duas partes dividitur.

Sed arctius etiam oculi confluere solent. Exemplis modo allatis hoc proximum esse videtur, quo duo oculi plus minusve perfecti, in una sclerotica communi includahtur.

§. 13.

In foetu ovino, quem Albrecht[14]) dissecuit, sclerotica sola excepta, omnes oculi partes duplices aderant, similique modo Ploucquetius et Winslowius corneam duplicem invenere. Eundem partium statum foetus ovinus alius quidam mihi offert. Corneae duae forma subrotunda plane distinctae conspiciuntur, quas taenia albida, in superiore inferioreque parte duas, in medio unam tantum lineam lata intercidit, palpebraeque tres, superior maior,

---

14) Act. n. c. T. VII. p. 363.

duae inferiores minores circumcludunt. In margine superiore, magnitudinem inferiorum aequantis, series glandularum Meibonianarum continua a fine altero ad alterum decurrit, nec usquam vestigium puncti lacrymalis invenias. Contra in palpebris inferioribus finem anteriorem versus glandulae Meibomianae evanescunt, punctaque duo lacrymalia inveniuntur in angulo inferiori, a quo simul parva cutis plica, quatuor fere lineas longa capillis denudata decurrit. Puncta ista lacrymalia ad saccum coecum, vix conspicuum ducunt, quod est unicum organi lacrymalis vestiguum.

Bulbus oculi, cuius latitudo altitudinem longe superat, a sclerotica simplici formatur. Ab illo autem loco, in ipso medio sito, ubi nervus opticus bulbum ingreditur, in ambitus eius parte superiori et inferiori taenia eminens decurrit, quae parti albidae, corneis duabus interiectae, iungitur, et simul cum taenia alia eadem directione in facie interna albugineae decurrente septum inter partem sinistram et dextram perfectum format.

Nervus opticus solito maior transverse decurrens inde ab origine usque ad introitum in bulbum oculi, simplex reperitur.

In ambitu oculi superiore musculus tenuis apparet, quem tres in partes, mediam azygam et duas laterales dividere, compositumque esse e levatore palpebrae et musculo recto oculi suspicari licet. Loco magis partem anteriorem et exteriorem versus sito musculus longus gracilisque, obliquo superiori, ut videtur, respondens bulbo iungitur. In parte posteriore et inferiore musculus parvus, r e c t u s e x t e r n u s magisque ad internum, proxime ad nervi optici insertionem, musculus haud minus parvus, s u s p e n s o r b u l b i, adest, praeter quos in parte magis inferiore et exteriore alium etiam, eumque, ut videtur, o b l i q u u m i n f e r i o r e m, et alium denique e fibris transversis compositum, nusquam ossi infixum, r e c t u m

inferiorem, reperimus, ut, si rectum internum excipias, omnes oculi musculi adsint.

§. 14.

Quo albuginea, eodem quoque modo choroidea simplex adest; cum tamen duae corneae adsint, duae irides perfectae ac plane seiunctae, utraque a ligamento ciliari circumdata, inveniuntur; ipsa haec ligamenta in parte ambitus sui anteriore per parvam choroideae taeniam interiectam separata sunt, itaque duos etiam orbes ciliares, duasque pupillas separatas habemus.

Utraque pupilla propria lente, proprio corpori vitreo imposita gaudet, quorum utrumque rursus a propria tunica vitrea includitur. Nec minus harum quaevis a retina propria circumdatur; quae partium formatio, choroidea, albuginea, nervoque denique optico simplicibus, maxime memorabilis est. Nervus vero opticus, dummodo aperturam tunicae albugineae et choroideae communem transgressus est, in duos ramos, mox in retinam effusos, finditur.

§. 15.

Cornea, cum una tantum adest, solito latior apparet, quam formam foetus suillus exhibet, cuius oculus simul minor est (pag. 10.) quam in hac monstrositate fieri solet. Idem invenere Littre, Riviera, Heuermann, Eller. In altero isto casu formatio, cornea lateri dextro insidente, minus erat symmetrica.

Partes a tunica sclerotica inclusae vel omnino vel partim duplices, vel denique simplices sunt, quorum priores illi status cum duplici cornea inveniuntur.

In casu a Ploucqueto commemorato, infra utramque corneam propria iris pupillaque aderat, sicut etiam in oculo a Littre descripto infra scleroticam communem duo bulbi seiuncti inveniebantur, qui se invicem adtingentes

nec tamen vasis coniuncti, quanquam choroidea carentes, proprio tamen nervo optico, retina, orbi ciliari, iride, corpore vitreo et lente crystallina ornati erant.

In aliis, qualia attulerunt Eller, Heuermann et Riviera formatio simplicior erat, cum in his omnibus choroidea, iris, lens crystallina et corpus vitreum simplicia essent.

§. 16.

Nervus opticus simplex oriri, ante introitum vero in bulbum findi solet. In casu, quem Riviera describit, nervus una cum retina omnino deerat; exemplum a Mery allatum nervo tantum destitutum erat, dum in oculo, quem Heuermannus videbat, nervus duplex duobus locis ingrediens, nec tamen solito maior erat.

Ovis denique cyclops, quam Hallerus [15]) disquisivit, oculum simplicem in medio situm, nec, praeter magnitudinem insolitam, abnormem habebat. Palpebra superior e duabus confluxa videbatur, inferior contra deerat, sic ut coniunctiva nulla alia parte intercedente cum faciei cute conflueret. Caeterum nulla oculi pars, nisi magnitudinem gradum normalem superantem spectes a forma regulari decedebat; quam conditionem etiam foetus suillus modo dictus offerebat.

§. 17.

Eandem, quam bulbi duplicitas maior minorve, conditionem duplicitas quoque offert musculorum. In foetu ovino, quem (p. 14.) descripsi, omnes musculi duplices adsunt, quod etiam Riviera animadvertit. Heuermannus in casu, quem enarrat, rectos externos solito obliquiores, obliquos contra ipsos omnino non reperivit.

Ani-

15) Opp. min. T. III. p. 58. 59.

Animal illud, quod Hallerus dissecuit, levatorem palpebrae superioris unum, rectum superiorem, inferiorem, obliquum externum internum et inferiorem et suspensorium bulbi habebat.

§. 18.

Formatio ab Hallero reperta rationem quodammodo indicit, qua oculi in unum confluxi usque ad illum abnormitatis gradum perveniunt, quo omnino desint. Propior huic gradui, illi tamen simillimus est casus, quem Prochaska nobis tradidit. Vidit nempe pone palpebras orbitam quidem, neque tamen bulbo expletam, sed adipe nonnullisque musculis ocularibus in margine finitis.

Klinkoschius [15]) statum observavit, ubi, oculo sinistro e palpebris tantum et sclerotica composito, dexter ex toto deerat, capite simul quovismodo deformato.

Vicq d'Azyr [16]) cum foetum maturum oculis nasoque destitum videret, sub cute duas quidem parvas foveas animadvertit, ad orbitarum rationem expressas, in iisdem nec nervorum opticorum, nec bulborum vestigium conspexit. Nec minus Carlisle [17]) caput agni vidit, simili ratione a forma solita decedens, cum ambo oculi omnino deerant. In foetu suillo supra commemorato, cui nasi omne deerat vestigium, palpebrae quidem tres, modo pariter supra dicto, formatae inveniuntur; in spatio vero, quod includunt, coniunctiva tantum in parte externa, subtus quidem in latere dextro, superne in sinistro vestigium quoddam palpebrae tertiae, et his praeterea locis duobus pilos breves ostendens apparet. Rarissime accidit, ut oculi sine aliis deformitatibus gravissimis omnino desint. De hisce tamen postea proferam nonnulla, nunc proxime de formatione rostri cum Monophthalmia plus minusve vulgo coniuncta.

---

15) Progr. ad ann. 1766.

16) Mém. de la soc. de méd. 1766. p. 316.

17) Descr. of a monstrous Lamb. Phil. transact. 1801. p. 159.

§. 19.

Rostrum illud est nasus, qui propter oculorum coalitum non loco usitato, sed supra oculum deformatus apparet. Haec autem rostri formatio quomodo cum Monophthalmia cohaereat, non patet, dum modo deficit, modo exstat, minime pendens ab oculi data constitutione. Sic e. c. nullum eius adest vestigium nec in foetu illo ovino cum duplici tunica cornea, nec in foetu suillo, quos ante oculos habeo. In alio contra capite ovino cum oculis plane separatis rostrum longissimum exstat, pariter ac in illo vitulino, cuius oculi propius tantum invicem admoti et imperfecti sunt. Pari modo illud longissimum est in capite suillo cum duplici tunica cornea. Casu a Prochaska descripto et alio, de quo Scultetus [18]) mentionem facit, ubi oculus fere omnino deerat, non maius, quam casu Littriano, ubi oculus fere perfectissimus erat, inveniebatur.

§. 20.

Caeterum nonnunquam rostrum deest unâque cum eo omne nasi vestigium, uti praeter casus modo allatos in iis a Peyero, Albrecht, Huber, Carlisle descriptis, sed exceptis hisce iamiam commemoratis illud insuper reperio alia in ove, cuius sceletum tantum atque pellem in conspectu habeo. Aequali conditione rostrum inveniebant Littre in cane cyclopico, Lá Faye in porcino; Mery, Mezeray, Eller, Riviera, Sonsis (in casibus duobus) Ploucquet, Isenflamm, de la Rue, in infantibus cyclopibus. Eius igitur praesentia usitatissima in hacce monstrositate conditio esse videtur, quod mirum esse non potest, cum rostri, nasi locum occupantis formatio minor est recessus a statu normali, quam si omnino deficeret.

Structura rostri non semper est eadem. Plerumque in maiori vel minori parte longitudinis suae cavum appa-

---

18) Eph. n. c. Dec. I.

ret. Mery, Ploucquet, Riviera, Heuermann usque ad finem posticum illud excavatum invenerunt, ibique fine coeco terminatum. Idem in foetu vitulino et duobus foetibus suillis invenio. Aperturam et cavum ad eam ducens Mery tam angusta reperivit, ut setam tantum transmittere posset. In casibus a me commemoratis multo amplior est illa apertura, quae in hominibus simplex videtur. Cavum rostri plerumque membrana pituitaria vestitum est, qua ex re significatio eius clarior fit.

Nonnunquam vero rostrum clausum transitum reddit ab illa magis normali formatione ad omnem nasi defectum. Sic in casibus a de la Rue et Sonsis disquisitis in apice parvam tantum coecam depressionem habebat, in cane contra quem Littre vidit, omnino solidum erat. Idem ego invenio in foetu suillo, cuius rostrum ex tela tantum cellulosa et fibris musculorum compositum est.

§. 21.

Caeterum rostri compositio in aliis est alia. Imperfectissimum eius gradum iam protuli. Saepius adhuc partim ex ossibus nasi, quorum structura infra describenda, partim e cartilaginibus constare, et quidem vel, ut in foetu suillo invenio, imperfecto, vel, ut in illo vitulino, perfecto septo osseo mobili divisum, ad posteriorem partem coecum finiri solet. Nec minus magnitudo haud semper eadem est. Plerumque gaudet nasi normalis magnitudine; interdum autem, ut e. c. in foetu suillo modo allato, multo minus est.

Nasi caeterum in rostrum haecce mutatio, consociata semper cum oculorum monstrositate propter analogiam inter statum normalem atque abnormem, maxime memoratu digna apparet, cum animalia rostris praedita, Elephas, Sus, Tapirus americanus, Erinaceus, Talpa, si non propius sibi invicem admotos, minimos tamen habeant oculos.

§. 22.

Monophthalmia non solum cum nasi defectu aut rostri formatione, sed crebrius quoque cum caeterarum capitis partium imperfectissima evolutione coniuncta reperitur. Quae tamen antequam compositiones disquiruntur, alia praecipue adhuc deformatio, qua Monophthalmia creberrime est consociata, per se contemplanda mihi videtur; oris nempe formatio vitiosa, auresque propius sibi invicem admotae. Tres casus in ovibus ante oculos habeo, omnes maxillae inferioris defectu inter se convenientes. Desuper consideratum, caput normaliter, a latere contra et ab inferiori parte iam primo conspectu vitiosissime formatum apparet. In oris loci planitie inferiori apertura oblonga transversa, margine undique comato circumdata invenitur, per quam palati ossei planitiem conspexeris.

Aures solito plus inferiorem partem versus versae, propius simul sibi invicem admotae sunt. Loco, quo inferior capitis planities in anteriorem colli transit, constrictio adest arctissima, infra quam prominentia invenitur.

Conditiones omnes ad eiusmodi deformationem partibus pertinentibus oblatas, quibus nil desit, duobus tantum agnis proferre possum, quos quidem Dominus Pr. Meckelius etc. integros accepit, quorumque descriptionem liberaliter mecum communicavit. Tertius alius in sceleto adest.

In capitis facie inferiori cute remota, partium sine ulla deturbatione oculis sese praebentium, primum stratum tale est:

Pone aperturam illam oblongam tenue glandularum stratum, acinis oblongis formatum situm est, quod vice glandularum labiorum fungitur. Deinde sequitur secundum, idque maius, crassa glandulosaque substantia, ex transverso iacente, formatum, cuius ex inferiori planitie utrimque ductus praecedit, oris membranam post illam primam substantiam perforans, glandulae ergo submaxillares, maxime perspicue medio in unum coalitae.

Post haec musculus iacet biventer, utroque latere a maxilla superiori oriens, qui versus finem iam tendinosus denuo in medias transit fibras transversas, ex parte glandula salivali contectas, et ita Masseteris parti mediae respondere videtur.

Cuius musculi mediam pone partem utroque latere glandula parva est sita, cuius ductum quidem invenire non poteram. Sequitur fibrarum lacinia transversa, utriusque lateris coalitu orta, quae quidem utriusque lateris cavum tympani transit. Qua in regione inter utrumque latus Pharyngis finis superior apparet. Reliquae partes omnes, excepto musculo mylohyoideo, cuius vix conspicuum invenitur vestigium, ad typum normalem formatae sunt.

Arteria ascendens ex parte lateraliter est inversa. Ramus ex illa primus oriens est subclavia sinistra cum dextra, deinde Carotis dextra; pone quam truncus denique ipse iusta oesophagum anteriorem superioremque versus partem in carotidem sinistram continuatur. Pone mediam partem Masseteris illa in tres ramos finditur, medium quidem, trunci continuationem, duosque laterales, arterias sc. temporales. Medius, priusquam mediam Masseteris partem transit, minorem adhuc ramum, recta via antrorsum euntem, arteriam sc. faciei demittit.

Partium modo descriptarum nonnullis remotis, structura profundius sitarum cognoscitur.

Oris primum cavo ab imo aperto, ipsum, praecipue posteriorem partem versus angustissimum, dentesque molares sibi invicem coronis suis conversos esse videmus, sic ut et hoc in loco inclinatio ad utriusque lateris coalitum omnino appareat.

Simul oris cavitatem paulo pone processum maxillae superioris alveolarem coecam invenimus finitam. Abhinc corpusculum surgit oblongum membranosum, quod veli palatini rudimentum esse videtur.

Glandula deinde salivali remota, partim ductus iam supra dictos, partim lacinorum stratum glandulosorum vi-

demus, haud dubie glandulas buccales, quae quidem, Massetere biventricoque dissectis evidentius conspiciuntur. Cuius porro musculi sub media parte tenuior quidem musculus transversus, rudimentum certe musculorum pterygoideorum in medio confluxorum, reperitur. Nec non canalem membranosum nunc animadvertimus, oris cavo minime cohaerentem, quem si aperias, usque ad basin ossis occipitalis porrigi quidem, hîc autem fine coeco terminari videbis. Specillum quoddam in nares immissum hucusque cum prodeat, canalis ille pars est posterior cavitatis nasi, qui hoc in loco coecus finitur.

Pharynx apice coeco finitus, tympani cava intercidit. Eo dissecto, hocce non solum magis perspicue, sed velum etiam palatinum invenimus, quod ipsum a sacco quodam coeco parvo, antrorsum magis sito, secernit. Quod quidem oris cavitatis posterioris est rudimentum, eodem modo, quo capitulum subrotundum, planitiei insidens pharyngis internae proxime ante epiglottidem, haud dubie est linguae rudimentum.

Cavum igitur oris et in anteriori, et in posteriori sua parte multo imperfectius est, quam illud nasi.

§. 23.

Alterius caput agni simili modo formatum, statui normali iam propius accedit. Pharyngis apertura sicuti linguae rudimentum insigniori gaudent magnitudine. Memoratu dignum apparet, quod Carotidis sinistrae magnitudo eam dextrae nominis eiusdem longe superet, ex illa non solum tota arteria linguali sed alia adhuc insigniori arteria oriente, quae foramen quoddam in maxillae inferioris rudimenti parte superiore sinistra transgressa ad capitis basin ascendit, ibique in ipso medio excurrens, in dextrum denique atque sinistrum finditur ramum, arteriae sc. maxillari internae respondentem.

Tertium eiusdem generis monstrum, quod in sceleto tantum video, omnibus fere in partibus cum modo descri-

ptis convenit. Cavitates oris nasique omnino easdem, quas illae, offerunt conditiones. In parte colli suprema saccus est sursum coecus permagnus, cuius diametros longissima in transverso decurrit, quique pharyngis, pari modo valde extensi, finem format supremum, arteriamque simul asperam, normaliter ante oesophagum iacentem, includere videtur. Ossium compositionem infra contemplaturus sum.

§. 24.

Tales a normali recessus et, quatenus in inferiorum animalium specierum statu normali obveniunt, memoratu dignissimi sunt. Oris apertura propter maxillae inferioris, atque oris cavi faciei anterioris inferiorisque defectum ad inferiorem capitis superficiem migravit, quo fit, ut similitudo cum pluribus piscibus, e. c. S q u a l i s, R a i i s, C h i m a e r i s, existat. Quod maxilla superior sola tantum adest, M o l l u s c a revocat, ex quibus praecipue genera L i m a x et H e l i x, illa semper sola manducationis instrumento utuntur; sicuti, quod dentes utriusque lateris maxillae inferioris introrsum versi sunt, constitutionem nobis organorum ad manducandum destinatorum in A r t i c u l a t i s plerisque in memoriam reducit, e quibus nominatim C r u s t a c e a, A r a c h n e a, I n s e c t a nec superioribus nec inferioribus, sed dextris tantum atque sinistris gaudent maxillis. Unio denique glandularum mucosarum salivaliumque memorabilem cum pluribus I n s e c t i s, offert similitudinem, quibus pariter unus est tantum Fasciculus, et cum pluribus M o l l u s c i s, praecipue Pleurobranchis, in quibus ex una tantum, eaque simplici glandula salivali, in utroque latere ductus transit ad oris cavitatem.

§. 25.

Saepissime oris cavi evolutio imperfecta, auriumque mutua approximatio, cum formatione cyclopica consociatae sunt. Sic in duobus monstris suillis nullum invenio

oris vestigium, nisi quod in altero eorum, ad finem inferioris superficiei rostri corpusculum, dentem aequans, attamen cute tenui obtectum appareat. In alio quodam monstro ovino iam supra descripto, eiusmodi oris vestigii loco, proxime pone oculos inter aures maxime sibi invicem approximatas, arctissimam in directione transversa decurrentem oris quasi fissuram reperivi. Simile quid Hallerus invenit. In casu a Prochaska descripto adeo ullum aurium vestigium deerat: in oris loco, sed plus posteriorem partem versus verrucula, infra eam apertura parva, oris cavum postice coecum adiens, inveniebatur. Prope ad vertebras colli, vice maxillae inferioris collare aderat osseum; infra quod Pharyngis finis coecus, cui fissa epiglottis insidebat, et larynx cum linguae quodam rudimento.

Hooper in Monophthalmia nullum quoque os, sed in eius loco oculum invenit. Substantia carnosa, quae in inferiori orbitae parte filo propendebat, magnitudine cicer aequans, linguae vice fungi videbatur.

In casu a Vicq d'Azyr commemorato oris loco parva subrotunda apertura praeditus petiolus, nullum porro palatum, sed in oris cavi recessu os quoddam, denti simile, aderat.

Nec minus in casu a Carlisle disquisito inter aures maxime sibi invicem approximatas simulque solito plus superiorem versus partem sitas angustissima tantum inveniebatur apertura.

Mery in mento aures invenit, et infra eas oris vice duas oesophagum adeuntes aperturas.

In casu, a Klinkosch disquisito, iam supra commemorato eminentia ossea nasi locum tenebat, illum oris fissura quaedam perpendicularis.

§. 26.

Totius capitis habitus semper in Monophthalmia, sive sola apparente, sive cum deformationibus supra dictis con-

iuncta a statu normali maxime aberrat, quod prae caeteris encephalum capitisque ossa docent. Deformitatem eo insigniorem esse, quo maior compositio est, per se intelligitur, quamquam et in hisce casibus normam quandam naturae vitia sequi videantur. — De encephalo in universum dici potest, cerebello normaliter formato, cerebrum ipsum solito simplicius esse solere. Sic in tribus huiuscemodi casibus, capite nempe ovino primum descripto, aliisque duobus, cerebello eminentiaque quadrigemina ad normam formatis, cerebrum in vesicam magnam, simplicem, rotundam, tenuibus laminis circumdatam, ne vestigium quidem bipartitionis gyrorumque exhibentem, mutatum invenio.

Quae etiam vesica, cum ad partem posteriorem non sit clausa in primo illo casu minus perfecta est. Pariete antrorsum revoluto, crura cerebri proxime ad eminentiam quadrigeminam glandulamque pinealem evanescere vides. In media facie anteriori parvus apparet processus, a quo in utroque latere in basi cerebri, eminentia parva, cornu Ammonis quodammodo locum obtinens, retrorsum se expandit. Ipse ille processus, in medio situs, in fasciculos funium, quorum fibras clare conspicis, quique in basis partem anteriorem, exteriorem et posteriorem effunduntur, transit. Facies superior huiusce vesicae simplicis laevissima est. Hoc caeterum cavum, cum in parte posteriori a cruribus cerebri claudatur, a ventriculo cerebelli, nec non ab aquaeductu Sylvii omnino seiunctum est. Nervo olfactorio omnino deficiente, nervus opticus, qui mox post relictum cranium finditur, locum primum obtinet, eumque caeteri nervi cerebrales, ordine et ratione normali, nervis tamen ad oculi partes attinentibus paullo sibi invicem appropinquatis, sequuntur.

§. 27.

Modo simili, paullo magis composito cerebrum alterius capitis ovini formatum est. Inprimis parietes, si eos cum amplexu cavi compares, quod praeterea clausum est, cras-

siores sunt. Nec non in facie inferiori plures eminentiae, certum tamen ordinem non sequentes, partibusque cerebri normalibus non dissimiles conspiciuntur. Fasciculus fibrarum, introrsum, retrorsum et extrorsum se explicans maxime conspicuus est. Cavum anterius cum posteriori per foramen permagnum, plexibus choroïdeis expletum communicare, conspicuum est. Quanquam partes ante glandulam pinealem positae ad typum normalem expressas video, tamen nervorum quinque prima paria omnino desunt. Cerebrum tertium omnino cum primo convenit, nisi hoc discrimen est, quod fasciculi fibrarum in fundo cavi magni minus conspicui sunt.

§. 28.

Omnes scriptores, e quibus Klinkosch, Eller et Carlisle nominandi videntur, in hoc conveniunt, quod dura mater processus nullos demittat. Klinkosch dicit, cava tria in unum confluxa, totumque cerebrum (in quo et Eller ei consentit) nec in, Hemisphaeria divisum, nec sulcatum esse. Nec minus Heuermann Hemisphaeria ambo coniuncta, corporaque striata cum thalamis nervorum opticorum confluxa vidit. Quanquam ceterum auctores non dicunt, cavum anterius confluxum bullam tenuem formasse, tamen huncce statum adfuisse suspicandum videtur, sicut etiam Prochaska inter ossa parietalia et os occipitis, intumescentiam fluctuantem, bullam continentem, quae cerebrum et cerebellum amplectebatur, invenit. Hoc quidem ad typum normalem expressum erat, illud vero, cavis carens, moles e sex eminentiis (thalamis opticis, corporibus striatis et rudimentis Hemisphaeriorum anteriorum) formatum apparebat.

Eller cerebrum perparvum, cranium haud attingens, cava lateralia nimis ad partem posteriorem sita, eodemque modo quam esse solent, minora vidit. Verisimillimum

est, initio cavitates anteriores permagna fuisse, eorumque perruptione tales tantasque mutationes effectas fuisse. In casu, quem primo descripsi, revera inter cerebrum et cranium magna aquae moles inveniebatur.

§. 29.

Deformatio partium externarnm quo maior solito est, eo longius cerebrum etiam a perfectione recedit. Quo fit, ut in foetu suillo cyclopico, cuius oculus maxime a duplicitate recedit, cerebellum quidem eminentiamque quadrigeminam ad formam normalem expressam, cerebrum vero, quod vix quinta totius encephali pars erat, solidissimum triangulare, antrorsum in apicem obtusum finitum videam. Dimidium posterius, idemque maius, e thalamis nervorum opticorum et cruribus cerebri, quae in facie inferiori nervum opticum simplicem demittunt, componitur. Dimidium auterius, minus quidem et tenuius corporibus striatis et Hemisphaeriis respondere videtur. Inferior eius facies, finisque anterior subrotundus, laevis, facies contra superior, ratione insigni inaequaelis et composita est, sic, ut ex eius formatione coniecturam de vera partis natura, modo allatam, lubenter facias. In media nempe hac parte a fini anteriori et inferiori ad posteriorem et superiorem, eminentia teretiuscula, a duabus foveis transversis non profundis in tres lobos divisa decurrit, iuxta quam quovis in latere stria medullaris extrorsum concava, sursum latior planiorque, ascendit, et mox pone eam cum altera se iungit. Nervus olfactorius ex toto deest. Simili modo in agno, a Carlisle dissecto, oculis, naso, ore destituto, totumque caput nimis parvum habente, dimidium cerebri anterius, idemque maius simul cum carotide externa deerat, dum cerebellum, praeterea, quod partem anteriorem rotundam haberet, forma normali erat indutum. Par sextum primum obtinebat locum, cuius tamen decursus ad nervum intercostalem pertinebat. Cum tamen ventriculus quartus,

qui quidem solus aderat, solito maior esset, hoc pro appropinquatione ad formam normalem habere licet.

§. 30.

Aliae etiam cerebri et systematis nervorum adsunt deformationes. Eller e. g. partes in basi cerebri, eiusque cavis sitas vix invenire potuit, et simul cum Heuermanno claris verbis glandulam pituitariam et pinealem interdum defuisse nos docet. Eller praeterea nec crura cerebri, nec pontem Varolii, nec olivas nec pyramides videbat; idemque sicut etiam Prochaska, de la Rue et egomet ipse ne vestigium quidem nervi olfactorii invenere; et Mery ipsos nervos opticos defuisse contendit, dum Prochaska tantum par tertium, septimum atque octavum conspiciebat. In casu ab Ellero laudato, nervi optici tam tenues quam par tertium erant, et quanquam duplici ortu gaudebant, mox tamen in unum truncum, a parte sinistra bulbum ingredientem confluebant, simulque pari quarto deficiente, paris sexti decursus, ut in casu a Carlisle allato, ad nervum intercostalem tantum pertinebat.

§. 31

Itaque pars encephali anterior, integra parte posteriore a forma normali recedere solet. Solus de la Rue se cerebrum, praeter nervi olfactorii defectum, et in huiuscemodi monstris normale invenisse contendit.

Formatio consueta valde insignis est ob similitudinem piscium, in quibus eodem modo ventriculi anteriores, nullo septo seiuncti, parietibus tenuissimis inclusi sunt, simulque, ut in exemplis nostris, fasciculi fibrarum in faciebus lateralibus conspicue in partem anteriorem et exteriorem se effundunt. Cui rei alia etiam similitudinis conditio, quam prae ceteris casus a me descriptus secundus praebet, adiicienda est, quod nempe ventriculorum parietes facillime in plures laminas dividi possent. Sic sine ullo labore in toto cerebri ambitu lamina medullaris interior tenuior-

que a lamina corticali anteriori crassiorique seiungi potest. Quae tamen pars in piscibus eminentiae bi- vel quadrigeminae animalium superiorum respondere, a pluribus, ex quo Cl. Meckelius hoc proobavit,[19]) creditur, sic, ut hanc partium structuram optime cum formatione Hemisphaeriorum in piscibus cartilagineis, avibus, mastozois, homine denique compares. Forma contra imperfecta, cum cava cerebri absint, formationi Hemisphaeriorum in piscibus osseis respondet, imo speciem quandam similitudinis habet cum Molluscis, in quibus hoc organon nil est nisi series gangliorum solidorum.

§. 32.

Interdum multo magis etiam cerebrum a perfectione recedit, sic ut omnino deficiat. Huncce statum in foetu suillo invenio, in quo proxime post rostrum eminentia rotunda, soluta, membrana tenui stricte involuta, inaequalis, e pluribus lobulis composita, dimidium pollicis lata ad finem spinae vertebralis sita est, et massis illis duabus, quae in hemicephalia locum cerebri obtinent, omnino conveniens cum superiori medullae spinalis parte cohaeret. Simul haecce massa, caeteris corporis partibus, praeter rostrum et labia, nudis, ad modum baseos cranii encephalique rudimenti in hemicephalis, pilis longis rigidisque circumdatur.

§. 33.

Eodem modo, quo cerebrum, ossa capitis a norma aberrare, res ipsa docet, pluresque, quas invenio, diversitates, quod pertinet et ad quantitatem et ad qualitatem, rostri conditionibus respondere mihi videntur.

---

19) Arsaky de Cerebro et Medulla spinali piscium. Halae 1813.

Cl. Meckelius e disquisitionibus suis hanc fere normam formationis vel deformitatis ossium capitis (quoad singula et quoad cuncta) constituit: „ossa capitis posteriora et superiora omnium rarissime abnormia, saepius omnino ad formam normalem expressa esse, dum ossa faciei plus minusve a structura naturali aberrent, et partim breviora, partim tenuiora, partim inter se implicita sint, partim denique omnino deficiant." — Quod quidem ex ossium singulorum accuratiori apparebit contemplatione.

§. 34.

1. Os occipitis fere semper ad normam formatum esse videtur, quod in ipso quoque foetu suillo imperfectissimo, quem in conspectu habeo, invenitur. In uno solo capite illo vitulino, ratione eiusmodi monstris propria a statu normali discrepat, quatenus pars condyloidea in parte sua posteriori, cum processu basilari solito simul tenuiori coalitum est, eadem que de causa propter situm processus condyloidei dextri magis perpendicularem, utriusque capitis superficies in ipso medio confluxere.

§. 35.

2. Ossa parietalia eodem modo plus minusve perfecta apparent, nulloque in cranio suturam sagittalem desidero. Imo in foetu suillo hemicephalico ambo adsunt, sed solito minus concava, et in posteriori quidem parte sutura illa coniuncta, in anteriore, autem, foramine rotundo, a materia illa spongiosa ad cerebellum porrecto, separantur.

§. 36.

3) De ossibus temporum idem dici potest, nisi quod in parte sua posteriori interdum secundum typum ceterarum partium a norma recedant, superficiebus plus minusve sibi invicem appropinquatis. In capite porcino imperfectissimo, nec non in alio illi proximo, ad corpus symmetricum tranverseque situm confluxerunt, in hemicephalo

propius tantum sibi invicem admota. Cuius quidem corporis internum in altero septum nullum continet, multis contra ex cellulis formatur et ubique pariete osseo circumdatum est. Formatio vero in primo multo imperfectior apparet. Utrumque tympanum e cavo constat permagno, ubique, parte posteriore interioreque tantum excepta, parietibus crassis obducto, nec cellulis sed parvula in pariete anteriori medio excurrente, per externam quoque concavitatem expressa protuberantia quodammodo dimidiato.

§. 37.

4) Os sphenoideum seu potius ossa sphenoidea longissime vulgo a statu normali recedunt, anterius magis, quam posterius, etsi capitis, eiusque regionis praecipue inferioris imperfectam propter evolutionem processus pterygoidei desint, talique modo os totum in zonam perpendicularem ab anteriori ad posteriorem partem compressam deformetur. Ossis in anteriori sua parte tenuioris dimidia lateralia non angulum constituunt cruribus duobus, in medio concurrentibus, conformatum antrorsumque versum, sed laminam potius plus minusve rectam, transversam, triangularem, in cuius medio foramen opticum simplex, vel taenia tantum tenui, a superiori ad inferiorem mediam partem decurrente, divisum reperimus. Simili, eaque recta via inter os sphenoideum anterius et posterius infra illud foramen fissura spheno - sphenoidea superior vel simplex vel eodem modo tenui tantum taenia perpendiculari bipartita excurrit.

§. 38.

5) Os frontis ex duobus interdum, ut vulgo, laminis lateralibus constat. Ita se habet in capite illo vitulino et foetu suillo, ubi tamen in utroque latere laminam format, ab anteriori ad posteriorem partem magis compressam, cui antrorsum nullum os adnectitur, ita, ut os ipsum cranium hac in parte claudat, et aperturam quandam permagnam in

aequale cranii cavum conducentem, circumdet. In plerisque autem casibus os frontis ad typum ossis sphenoidei anterioris, tanquam os simplex pentagonum, formatum invenies, quod e duabus ut videtur aequalibus constat partibus, sub angulo quodammodo recto coniunctis. Quarum quidem partium anterior inferior, tetragona, a superiori anteriorique parte ad inferiorem posteriorem descendens, pars est ossis frontis orbitalis, quae cum ossis sphenoidei anterioris margine superiori per suturam se iungit. Superior contra posterior, horizontalis, trium angulorum pars est frontalis, ossibus parietalibus normaliter coniuncta, quae tamen interdum a statu vulgari omnino eo recedit, quod vel tota vel plurima ex parte sursum antrorsumque vertatur, in subrotundum magisque tenuem processum prolongata, rostri partem posteriorem osseam conformet.

§. 39.

6) Ossa nasalia in minoris momenti monstrositate, e. g. capite vitulino normalia sunt, nisi concaviora, praeterea vero semper plus minusve a norma recedunt. In iis, quos equidem vidi, casibus, quibus rostrum formatum est, in unum os canaliculatum confluxa sunt, cuius partem concavam in altero casu versus superiorem, convexam versus inferiorem partem porrectam, in altero autem absque ulla partium symmetria, hanc dextrorsum illam contra sinistrorsum sitam reperivi. Rostro deficiente, ossa nasalia omnino deficiunt.

§. 40.

7) Faciei ossium caeterorum perfectissima plerumque sunt ossa zygomatica. In capite suillo maxime evoluto, in unicum os confluunt, quod orbitae formans partem inferiorem, iuxta et infra os ethmoideum inter utrumque ossis temporum processum zygomaticum invenitur.

§. 41.

§. 41.

8) 9) Maxillae superiores, nec non os intermaxillare plus minusve vitiosa laborant evolutione. Illae semper breviores, rectaque via ad posteriorem partem versae, cavo, quod ab ipsis, ossibusque nasalibus tantum circumclusum sit, omnino destituuntur, dum, illis ab hac regione oculorum confluxu omnino seiunctis, ipsae superiorem versus partem amotae, totamque per altitudinem suam coalitae sunt. Plerumque os supra- et intermaxillare lateris eiusdem unum solum os praebent, quod in uno casu in anteriori sua parte duos tantum dentes, verisimile caninos, continens, arctius, planum, antrorsum concavum, apice denique posteriorem versus inferioremque partem situm, rostrum sustinet inferius. Notatu dignum apparet, quod in exteriori parte medios inter duos dentes caninos, dens unicus iaceat maior quidem et incisivus. Quibus ex rebus os intermaxillare in pluribus casibus omnino deesse suspicari licet. In uno casu nullum, nec ossis supra- nec intermaxillaris vestigium reperitur.

§. 42.

10) Ossa lacrymalia fere semper os simplex, triangulare, maxillae superioris parti superiori inter hancce et ossa zygomatica insidens conformant, quod nusquam, nisi forma imperfectissima adsit, deesse solet. E contrario duplex quoddam, cuius tamen dimidia sutura media longitudinali coniuncta sunt, rarius apparet. Ductus, in utroque ossis latere fine coeco obveniens, sc. nasalis, plus minusve conspicuus est.

§. 43.

11) Ossa palatina interdum haud inveniuntur, ubi autem adsunt, ibi et ipsa eodem, quo ossa supramaxillaria, modo per totam suam altitudinem, nullo intervallo intercedente, coniuncta sunt.

§. 44.

12) In hac deformitate maxillam etiam inferiorem, a typo naturali aberrare haud necessarium videtur, quamquam fere semper in hocce statu quo brevior, eo altior, crassior, et in partem superiorem inflexa inveniatur, sic, ut eius forma tantum, nec tamen magnitudo vel massa statum insolitum ostendat. Monophthalmia contra si cum formatione imperfecta cavitatis oris coniuncta est, maxilla inferior ex toto deest.

§. 45.

Pars faciei inferior sola, si minus perfecte a natura expressa est, ossium a statu normali aberrationes simpliciores esse videmus. Pars palatina ossis supramaxillaris a parte anteriori ad posteriorem sensim sensimque angustior, eoque magis concava fit, simulac ab utroque latere vehementer compressa apparet, sic ut coronae dentium molarium lateris utriusque in se invicem convertantur, quem typum etiam ossa palatina sequuntur. Maxillae inferioris in duobus aliis casibus, primo tertioque eorum, quos ante oculos habeo, ne vestigium quidem invenio, dum locus etiam, capitulo huius ossis condyloideo in osse temporum respondens, planus et cartilagine destitutus est. In casu altero contra rudimentum quoddam huius ossis conspicis. Proxime nempe ante processus styloideos, os laeve, symmetricum, azygum, soleae ferreae formam exhibens, a basi cranii, quacum mobili nexu coniunctum est, decedit, partemque posteriorem et inferiorem cavitatis oris format, cui etiam ossi pars pharyngis anterior iungitur. Quae ossis forma, haud tam a perfectione remota, cum cohaereat cum pharyngis cavitatisque oris plus minusve perfecta evolutione, magni est momenti. Ante supraque hocce maxillae inferioris rudimentum, sub cute aperturam cavi oris posteriorem integente, ossa tria irregularia, cum basi cranii minus arcte coniuncta, quorum medium idemque transversum reliquis duobus maius est; sita sunt, quae

quidem, quamquam ambo ad partem magis anteriorem sita, simulque solidissima sint, tamen ossiculis tympani auditoriis respondere dicam.

§. 46.

Musculorum conditiones in deformitate modo dicta, supra iam descripsimus. Rostrum, in formatione cyclopica cum adest, a fasciculis muscularibus irregularibus circumdatur; labium superius tribus gaudet musculis, medio uno ceterisque lateralibus, qui lateribus maxillae superioris infixi usque ad apicem rostri decurrunt. Praeterea proxime sub ossibus lacrymalibus ab osse supramaxillari altero ad alterum, musculus transversus, azygos, e musculis nasi superioribus confluxis, exortus, decurrit.

§. 47.

Momenta physiologica, quae haecce monstrositas praecipue quoad similitudinem ipsam et animalium formas intercedentem offert, iam passim supra tetigimus. Superest tantum, ut respectu ipsius ortus addamus, eam pro primitiva nos habere, cum argumenta omnia, quae cl. Meckelius pro primario monstrorum ortu collegit [20]) in hoc monstrorum genus optime quadrent.

20) Handb. d. pathol. Anat. Bd. 1.

Theses defendendae.

I.

Proverbium illud: medicum in theoria versatum imperitum praxeos esse, verum non est.

II.

Vita hominum valde ad flammae similitudinem accedit, et flammam organicam, cui animus immortalis inest, appello.

III.

Sententia illorum, qui respirationem infantis, antequam totus excludatur, et vagitum uterinum negant, nulla est, et haud stabilibus argumentis innititur.

IV.

Sedem morborum animi haud semper in cerebro quaerendam esse, mea fert opinio.

Curriculum vitae.

Ego Carolus Godofredus Speer, natus sum Goldbergae in Silesia inferiore sito, die XIXno mensis Septembris, anno millesimo septingentesimo nonagesimo, patre Carolo Theophilo Speer, laniario et cive in oppido isto, matre Maria Rosina e gente Thiemanniana. Patrem carissimum mors heu! praematura mihi, vix tres annos nato, eripuit; matre hucusque gaudeo. Anno septimo aetatis mater domicilium pristinum reliquit et Lignitium migravit, ubi, ut antea, in litteris primum puerili, dein iuvenili aetati atque ingenio accommodatis, sedulo institutus fui. Adolescentulus duodecim annorum in Gymnasium Lignicense receptus sum, in quo litteris nec non linguis antiquioribus et recentioribus operam navavi. Postea, e Gymnasio egressus, litteris privatim studere continuavi.

Dein, cum ad artem medicam et chirurgiam inclinarem, ut hanc ediscerem, a Kauschio celeberrimo, patrono mihi in aeternum maxime venerando, commendatus, locus mihi in instituto illo medico-chirurgico, quod Berolini floret, vulgo Pepinière dicto, nunc nomen gerente a Friderico Guilielmo, fundatore suo, collatus est.

Hic in vernacula lingua a Petisco institutus sum. Scholas de lingua latina apud Heymannum et Brohmium, de graeca apud eundem, de franco gallica apud Saunier, atque philosophicas apud Kiesewetterum V. C. frequentavi.

In anatomia me erudierunt, illustr. Knapius, in osteologia, splanchnologia et syndesmologia, Rudolphi excell.: in anatomia universali, pathologica et comparata, quo utroque monstrante cadavera quoque ipse dissecui. Rudolphium botanicen et physiologiam explicantem, audivi. Clar. Tourte chemiam, pharmaciam et aëroloqiam mihi exposuit. Praelectionibus pathologiae generalis, semiotices, therapiae generalis et specialis ab clar. Hufelando iun. habitis, interfui, Exp. de

Koenen, physiologiam et pharmacologiam docente, usus sum. In pathologia speciali, morbis syphiliticis et institutionibus clinicis Hornius clar. mihi fuit praeceptor. Hufelandus illustr. therapiam specialem me docuit. In arte medicamentorum praescribendorum a Knapio eruditus sum. Praelectionibus de chirurgia generali et speciali apud celeb. Graefium interfui. Cognitionem artis obstetriciae tum theoreticae tum practicae, partim Mursinna exp., partim Klugio doct. debeo. Klugius quoque in doctrina de fracturis et luxationibus ossium me erudivit.

Sic litteris necessariis et duobus praemiis instructus, cursuque peracto institutum illud reliqui et munus chirurgi in socomio charitatis, quod vulgo dicitur Charité, mihi traditum est, quo tum fungebar, et scholas clinicas Hornii ac chirurgicas Mursinnae etiam frequentare haud neglexi.

Tunc ex officio meo vices chirurgi militaris in exercitu subii quas partim in Francogallia, ubi, in absentia chirurgi et medici superioris semper personam eius tuli, partim in patria usque ad tempus novissimum administravi.

Anno proxime elapso hac in urbe, quam cohors illa, cui eram adscriptus, praesidio tenebat, operationibus chirurgicis duce clar. Weinholdo operam navavi, nec minus etiam ill. Sprengelio, pharmacologiam et artem formulas conscribendi docente, usus sum. Porro praelectionibus partis therapiae et exercitationibus clinicis ab cel. Nassio habitis, gavisus sum. Dzondius exp. in chirurgia generali me instituit, doct. Schregerus in zoochemia, hippiatrice et chemia corporum inorganicorum mihi fuit praeceptor, et praelectionibus ill. Meckelii de anatomia pathologica adhuc gaudeo. Hisce omnibus praeceptoribus meis gratias ago longe maximas, Deumque optimum maximumque precor, ut annuat conatibus eorum.

Nunc, studiorum meorum cursu emenso et tentamine atque examine rigoroso feliciter superacto, iam in eo sum, ut ordinem gratiosum medicorum halensem ad gradum doctoris medicinae et chirurgiae in me conferendum, decentissimis precibus adeam.